

Baptistæ Piasii astronomi peritissimi funebris laudatio Per Nicola-
um Iucarum Rhetorem Cremonensem ædita

Quam difficile: laboriosumq; negocium susceperim: uiri Magni
fici desolatissimiq; patres: tum ex rei ipsius conditione: tum ex
dicentis habitu per facile iudicari potest. Nam cum mecum diligē-
tius cogito quanto splendore orbata: quātisq; ornamentis: ac de-
licis spoliata cōmunis patria sit: ob Baptistam Piasium omnium
gentium: omnium seculorum: omnisq; memoriæ: multiplici do-
ctrina: facile principem inuidæ mortalitatis uinculo nobis subla-
tum: sequitur ut qui consolator acceferam consolandus ipse sim
eo nanq; animo erga patriam: alumnosq; eius præstātissimos sem-
per fui: ut commoda mea ex eorum commodis metirer: nilq; uel
triste: uel lætum eis acciderit: quin id mihi commune existimarem
Hinc itaque lachrymæ: hinc suspiria: hinc a profundo pectore ex-
rumpentes gemitus: & (quod omnium maximum est) acerbissi-
mo mœerrore consternatus animus: ingenii uim: dicendi copiam
imminuunt: attonitumq; ac prope allucinantem reddunt. sed cū
dolori succumbere: rationemq; ex arce sua dimouere effœminati:
ac parum prudentis esse animaduertam: constantiæ adminiculo
utendum cēsum: ut animi perturbatione procul expulsa tantæ to-
tius ciuitatis frequentiæ: omniumq; ordinum splendori: supremis
deniq; defuncti laudibus saltem pro uirili portione non defuisse
uidear. quem amiciciæ uetustas: hominis dignitas: omnium scien-
tiarum cognitio in eo supra hominem effulgens: innumerabiliq;
in me beneficia adeo commendant: ut uel Pythicam uocem mihi
exoptem: uel Demosthenis grauitatem: uel Ciceronis copiam: nō
enim uideo ubi maius orandi argumentum se se mihi offerre po-
tuisset: quippe in uno aliquo præclaram: ac peculiarem scientiæ co-
gnitionem reperies: qui autem disciplinas omnes non imbiberit
solum: sed abunde hauserit: uix unum ex plurimis inuenies: in Ba-
ptista uero nostro: cuius memoriā lachrymabundus usurpo: an
aliquid desiderandum esset ex iis quæ uera bona stoici appellant:
percurrere operæ precium erit: ut unicuiq; uestrum sit exploratissi-
mum tanti uiri iacturam: communemq; calamitatem perpetuo de-
flendam esse: cum præter uitæ integritatē: moresq; sanctissimos
uobis cumulatissime cognitos: uirtutum suarum seriem me lauda-

tore percæperitis. Superuacaneum uiri Cremonenses fore exi-
stimauit: patriam: generis claritatem: fortunæ largissimas dotes
propinquorum longe lateq; patentes gradus inter magnas uiri
huius laudes commemorare: Quem rerum gestarum numero: &
magnitudie: grãde aliquod decus iis addidisse potius: q̃ inde splendo-
ris incrementum accæpisse constat. Illustrauit quidem Baptistam
nostrum Cremõa patria: celeberrimi nominis urbs: ut nostis: Ba-
pista uero patriam perpetuis immortalibusq; præconijs cele-
brandam reddidit: Ita moribus sapientiam per omnes ætatum
gradus coniunxit: Nam cum prima litterarum rudimenta sub Ia-
cobo Alierio uiro sane integerrimo: atq; doctissimo in oculis pa-
rentum perciperet: magnitudine Indolis statim inter æquales
excellens eam de se opinionem excitauit: quam olim Cicero de
se ipso pollicebatur: Sed hic Cicerone maior: Ille nanq; iactatiæ
a puero usq; Inhiabat: Hic uero solum Deum ãte oculos habens di-
sciplinarum incrementa soli deo accepta referebat: purus ore:
purior animo: Dei quã hominum metuentior: Crescentibus mox
annis eloquentiam auidissime amplexus tantum in ea pro-
fecit: ut qui Inter Gramaticos poeticæq; studiosos emineret etiam
inter postremos oratores habendus non esset: Cæterum pera-
ctis puericiæ studiis cum uaria essent discendi genera: in quibus
egregia cum laude uersari posset triplicem philosophiam subci-
uis temporibus ardentissime perdidicit: logicen quæ proprietates
uerborum exigit: Physicen quæ rerum naturam scrutatur: Ethi-
cen quæ animum componit: easq; sub florentissimis præcepto-
ribus hausit: logicen sub Nicolino Cremonensi ordinis heremi-
tarum optimo & sacrae Theologiæ professore acerrimo: In phi-
losophia uero præceptorem habuit Apollinarem offredum o-
mnium sui sæculi doctissimum & Ciuitatis nostræ radiantissimum
sidus: celeberrimiq; nominis apud omnes philosophantium con-
uentus eum supremas Delicias appellantium: ab eodem quoq; be-
ne beateq; uiuendi præcepta didicit socratis exemplo qui rerum
naturam perscrutatus de moribus coepit disserrere: unde philo-
sophiã e coelo in terras duxisse primus tradit: sed Illo Athæa Hoc

autem Ticiense gymnasium gloriatur: ubi fere in ipso adolofcen-
tia exitu comuni philosophorū consensu philosophiæ professor
Declaratus ē: Medicinæ præterea: Quæ humana corpora uel tue-
tur uel iſtaurat: iſignia maximo applaufu ibidem meruit Cum ibi
lam ab Esculapio eiusdem inuentore: uel ab Hippocrate Coo qui
primus Clinicen instituit percepisse uideretur. Sed maioribus
auspiciis profundum pelagus fulcandum erat: generosusq; ani-
mus ad honestiora semper aspirans: mathematicas disciplinas
numerorum: ac mensurarum rationes: musicosq; concentus per-
cepit: Astronomiam deniq; tanto ardore cōquisiuisse fertur: ut
quod pene incredibile est: uelut alter Carthaginensis Augustinus
nullo tradente Ingenii sui sollertia pertinaciq; studio percalluerit
Vnde factum est ut omnium artium quas liberales uocant cogni-
tione instructus non in patria sub silentio diutius esse ualuerit.
Nam Ferrariam ab Illustrissimo Leonello Estēsi reipublicæ suæ
tunc optime consulenti accitus est: ut publica cōductus stipe quas
secum attulerat preciosas merces philosophandi studiosis impar-
tiretur: sideralemq; scientiam paucissimis tunc cognitam annis
octo publice traderet: tam frequenti auditorio: ut Athlanta ad
quem eius origo refertur: ad lucem rediisse: uel hunc a Memphiti-
cis Astronomis quicquid de motu cœli: astrorumq; diffinitis cursi-
bus per moderata interua illorum spacia præcipitur: hausisse con-
staret: ex qua si quantum aucto ritatis: quantumue splendoris asse-
cutus fuerit: repetere uoluerimus: locupletissimi testes nobis
erunt Borsius olim Ferrariæ Dux Inclytus: Franciscus item Sfor-
cia omnium Cæsarum famam iūpergressus una cum Blanca
Coniuge Digna quæ mortalitati non esset obnoxia: Testis item
erit Pius Pontifex Maximus: ad quem eius multæ extant epi-
stolæ: cum Aenæas Siluius adhuc esset: litteratissimorum per-
fugium unicum: qui in Mantuano Amphyctionico Baptistam
nostrum orantem attentissime audiuit: & de futuris uerissime
differētē tātopere admiratus est: ut honestissimo salario Ferrariā
Borsius: Mediolanū Frānciscus Sforcia: in urbē deniq; pontifex ille

diuinus euocare tentauerint: ut qui patriæ ornamentum erat: totius Italiae oppida urbesq; nominis sui celebritate cõpleret. Quid plura? Cardinales: ac principes illustres Mantuæ commorantem magna excellentiq; hominis gloria compulsi ad eum uisendum uenerandumq; certatim confluxerunt. Pectore igitur indefesso pataumq; eloquentia opus esset: in eo meritis laudibus extollendo quem alterum Aristarcum In lineari scientia: In dicendi arte Isocratem In Dialectice Leontinum Gorgiam In Phisice Aristotelem: In Ethice Zenonem: In Arithmetica Pythagoram In Musica Platonem In Geometria Archimedem Syracusium In Astronomia Phtolomeum: Thaletem Milesium: Anaxagoram: atq; Hipparcum extitisse palam est. Nam tota Baptistæ nostri Astronomia erat: in qua solus regnabat ueluti Cicero in iudiciis. Quis enim uerius: firmioribusq; rationibus futura prænuñciauit: testantur id eius scripta uenturas per singulos annos rerum uicissitudines præfagientia: quibus si cæterorum iudicia conferantur: caligabunt in sole. Apologian eius omitto: qua Ioannem sacroboschum: & Gyrardum sablonetam Astronomos peritissimos tuetur aduersus imperitum Romanum quẽ Barbarum in opere suo appellat: non minus acurate: quam subtiliter perscripto ad refutandam hominis barbariem: quod propediem lucem accipiet: futurum illius artis studiosissimo cuiq; adminiculum non mediocre. O Virum totius nostræ ætatis decus in igne rabidæ mortis inæuitabilem uiolentiam: erat profecto uir iste si inuidam illam atropo uincere fas esset immortalitate donandus: ne tot præclaræ artes uno eodemq; tempore perirent. Quando autem Cremonenses mœstissimi talem uirum secula uel præsentia: uel futura Dei optimi maximi indulgentia assequentur: quando præter multiplicem doctrinam: tot in uno homine congestas uirtutes contemplabimur? An referam eius prudentiam: an magnitudinem animi: qua oblatos honores: contempsit: honestissimas principum condiciones paruifecit: an modestiam: in ataplo patrimonio excellentiq; doctrina omnibus notam? Hic potentium amicus: tenuiorum amicior erat: taceo præstitam ægrotantibus opem gratuitam: quis ulla unquam iniuria se uel laceffitum: uel affectum ab eo exoptulauit? Religionem omitto si Baptistam quæres in hoc diu Augustini templo orantem: uel de rebus diuinis uer

ba facientem: uel familiari colloquio edocentem uidistis. Quis eū
malæ mentis in Deum fuisse coarguat? nemo sane. Vidi patres
optimi: uidi inquam multos: plurimos quoq; fuisse a maioribus ac
cepi: summo ingenio: atq; doctrina præditos: de orthodoxa autem
fide perperam sentientes: ausosq; sanctissimorum uirorum scriptis
foede & immaniter derogare. Hic uero purissimæ mentis uir unū
Deum esse prædicabat: sapientem: ac potentissimum. Vnde fit ut
inter cæteros me ipsum excruciem: naturamq; ipsam incusem.
Quæ me deliciis meis: Ciuitatem uero nostram fulgentissimo lu-
dere orbauerit. Possum itaq; Hoc in loco Metelli. Verba ad fi-
lios de Scipione uita functo in medium afferre. Ite Filii: celebrate
exequias nunq; Ciuis Maioris funus. uidebitis: & ad Romanos Ac-
currite Inq; quirites accurrite. Quia nostræ ciuitatis Decus & lu-
men extinctum est: Nam si quid Boni in Vita est id habuit: si quid
uero Mali id euitauit. lugete Patres Baptistam sanctitate: & omni
Virtutum Genere Venerabilē Claudantur officinæ: deserta sint
Gymnasia: Destituantur Theatra: Fiat deniq; in urbe iustitiam
Publico in tanti uiri moerore: quem tamen non accelerata mors
non uiolenta absumpsit: sed paulatim sensuum: membrorumq; ti-
gore labefactato irrepsit: anteactæ uitæ respondens: quam tran-
quillam: ac suauissimam ægit: si tamē mortem appellare licet: qua
Baptistæ mortalitas: magis finita: q̄ uita est. Vnum postremo
superest Magnifici, Desolatissimiq; patres: Tuq; Helysee quem
moerore consternatum uideo: Francisce: Hieronymeq; nepotes
afflictissimi: ut postq; ab oculis recessit ciuis: pater: auusq; suauissi-
mus plenus honoribus: plenus ānis: integerrimo ad octogessimū
secundum ætatis annum adhuc corpore: non multis lachrymis:
non singultibus assiduis abeuntem prosequamini: ne Coelorum
gaudia: foelicioremq; patriam ei in uidere uideamini: Baptistam
cogitate: eius uestigia ante oculos habete: sinceritatis: ac sanctita-
tis exemplar: uobis omnino persuadentes: qui Coelorum motus
contemplari non destitit: relicto terrestri domicilio: cum superis
æternam: omniq; molestia carentem uitam agere.

Ne Achariston idest ingratum: sed potius, Euchariston idest gra-
tum Helyseum Piasum experiamini Magnifici Magistratus: Do-
ctores Consultissimi: uosq; humanissimi patres cum frequentissi

mo: celeberrimoq; conspectu uestro supremos cineres Babbiste
sui decoraueritis: Helyseus: filii: agnati: cognatiq; oēs imortales
agunt gratias habebuntq; perpetuo: relaturi pro tempore sed uti
nam lætiori . Dixi .

Ioannis Cropelli Soncinatis ad lectorem Carmen.

Qui lachrymis oculos: gemituq; insana fatigas.

Pectora: Baptistæ sæuaq; fata gemis.

Heu luctus pia causa tui est: quippe ille salutis.

Astrorumq; iacet iusticiæq; pater.

Nec tamen inuidiam Lachesis facinusq; Mineruæ

Pertulit Ausoniæ: Cæcropiæq; decus.

Excultæq; tonans Lugarus præconia liuguæ.

Funeribus iussit hunc superesse suis.

Hic postliminio reuocauit ad æthera: fatis

Fortior: & superum nectar amare dedit.

Ergo uagos Coeli qui nouerat ante meatus:

Sidera nunc etiam cum Ioue summa tenet.

Vale Candidissime Lector

A la Cremonæ In Frequentissimo Diui Augustini Templo De
rimo Calen: Febru: Millefimo Quadringentesimo Nonagesimo
secundo



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

I certum C...

Qui...
Hic...
Et...
Sed...
Quia...
Pro...
In...
Sub...
Super...
Inter...
Intra...
Extra...
Circum...
Contra...
Propter...
Ob...
Propterea...
Quia...
Quoniam...
Quia...
Quia...
Quia...

Et certum est...





















